JOH. FRED. GRONOVII

ORATIO
DE
LEGE REGIA

Pro concione, quum Faſces Academicos ſecundum deponeret, recitata

Die ſolemni VIII. *Febr.* CIↃ IↃ C LXXI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGD. IN BATAVIS.

Ex Officina HADRIANI SEVERINI.

CIↃ IↃ C LXXVIII.

196

Nobiliſsimis, Ampliſsimis & Splendidiſsimis Academiæ Lugd. Batavæ

CURATORIBUS;

Omnium Litterarum Mæcenatibus Benigniſsimis.

D. FREDERICO à DORP, JC. Moſædami Domino: Equeſtris Batavorum Ordinis Patri Conſcripto: Agrorum ad Rhenum Moderatori Prudentiſſimo, aggerumque Præfecto Æquiſſimo: ad Sereniſſimos Poloniæ Sueciæque Reges Legationibus ſumma cum laude functo.

D. JOHANNI à THILT, JC. Reipubl. Harlemenſis Conſulari Meritiſſimo: ad Concilium Status ſeptem Confœderatarum Provinciarum Adſcripto: Aggerum ad Rhenum ſupremæ Præfecturæ Judici Graviſſimo.

D. HIERONYMO à BEVERNINGK, JC. Teilingæ Domino: Reipubl. Goudanæ Conſulari Spectatiſſimo: Maximis in Remp. Muneribus atque Legationibus fortiter obitis Celeberrimo: cruento hoc tempore Paci Tranquillitatique Europæ Reſtituendæ acAnciendæ Batavorum Legato Digniſſimo.

197

Eorumque Collegis Honoratiſsimis, Generoſiſſimiſque Reipubl. Lugdunenſis

PROCERIBUS,

D. RIPPERTO à GROENENDYCK, JC. omnium Ampliſſimorum Honorum & Ætatis gradibus Inſigni: Conſuli octavum & Primo & Principi.

D. HERMANNO vander MEER, JC. Toparchæ in Hogeveen: Supremi Concilii ſeptem Sociarum Provinciarum Patri Conſcripto: Conſuli quintum: Academiæque Lugd. Quæſtori Probatiſſimo.

D. THEODORO GOLIO, JC. Præturæ Faſcibus Ornatiſſimo: ad Rei Maritinæ Præfecturam Amſtelodami nuper Adſcito: nunc Conſuli ſecundum.

D. DANIELI ab ALPHEN, JC. Hagæ pridem Rationum publicarum Magiſtro Integerrimo: nunc Conſuli ſecundum.

ITEMQUE

Acutiſsimo, Solertiſsimoque Viro,

D. PETRO BURGERSDYCIO, JC. Reip. Lugdunenſis Syndico Eloquentiſſimo: Magnificis D. Curatoribus à Secretis,

Tot manuum pariter linguæque experimenta in nobiliſſimo, quod Urbis Veſtræ, Viri Illuſtr. alma benignitas meæ quoque adoleſcentiæ conſcia nutrit, Palladio à patre meo non ſolum edita ſunt ac probata, ſed etiam ab exteris prærogativam veſtri judicii non detrectantibus cum applauſu excepta, ut ſatius videatur fuiſſe ejus famam cum corpore quieti ſuæ relinqui, nec denuo, fatigatæ jam fortaſſis, felicitati moleſtum me venire. Quæ cogitatio quum ſæpe mihi obſepſerit feneſtram ex multo acervo, quem

reliquit,aliquid producendi; tum maxime ab hoc ingenii ejus ſpecimine evulgando me abſterruit, quod quum ex eorum genere ſit, quæ majora videri ſolent, ſi in exiſtimantium arbitria non devenerint, cum materiam occupavit valde pervulgatam, ſi ſcholas & cathedrariorum θέσεις ſpectem; ſi vero ipſam rei veritatem, cui plerumque ſerius provenienti obniti ſolent, minime popularem aut ambitioſè actam. Pepulere tamen animum nec moroſum nec contumacem pene quotidianæ plurimorum flagitationes; qui quem velut ulti-

ultimum in laudatiſſimo Theatro profeſſoriam perſonam deſaltantis actum auribus combiberant, ut & ipſi vividius eam horam inſigi animo ſuo ac tanquam reſpicere ad præteritos annos; & alii, qui in ætatem iſtam non inciderunt, ſaltem credere de illo poſſent, in plura exempla deſcribendum & publicandum judicabant. Non eſt dubium, quin parens meus Curiam veſtram, quam & in aliis de ipſius honore comitiis, & illo ipſo quem Orationis hujus ſolemnitate ejuravit, principium fuiſſe noverat, reſpe-

A 4 xerit

xerit velut Alpha ſuum & Omega. Itaque non potui honoratiore nec debui convenientiore velut antefixo hujus ædiculæ faſtigium exornare & quaſi Larium invidiam omnem malignitatemque averruncantium vocabula inſculpere, quam veſtrorum, Ampliſſimi Viri, nominum tectorio ei illito. Deceſſores veſtri anno MDCLVIII. primæ ejus inter Academicos Scholæ & vacare & nomina ſua præfigi non ſunt dedignati; nec deinceps alii anno MCDLXXI. ad hujus ipſius ſermunculi auditionem ab auguſtis Urbici tribuna-

bunalis gradibus deſcendere. Vos cur ad peragendam hanc doctrinæ ſcenam, licet mortuo, tamen veſtra gratia apud vos depoſito & hac parte utique victuro patri meo appellationum veſtrarum, velut ſepulcrale prætextum, magnificentiam commodaturos diffidam cauſa mihi non eſt: qui & vicem priorum geritis, & juſtiſſime ampliſſimeque impletis, quum per hæc quoque fera & bellica tempora Muſis habitare apud vos ſolitis tranquillam ſedem præſtare laboratis. Quare vobis auſpicibus cygneam parentis mei

mei concionem velut à Curiæ veſtræ poſtibus ſuſpenſam in populos diemque mitto, qua una pientiſſima voce poſſum, illi accinens

A te principium, tibi deſiit, accipe juſſis
Carmina cœpta tuis.

Deus Optimus Maximus vos & quam gubernatis Rempublicam in hoc lubrico ſalo incolumem & ſalvam undecumque præſtet. Hagæ. Cal. Martiis cIↃ IↃ C LXXVIII.

Amplitudini Dignitatique Veſtræ addictiſſimus

LAURENTIUS THEODORUS
J. FR. F. GRONOVIUS.

Illuſtres & Splendidiſsimi almæ Academiæ Curatores. Ampliſſimi, Graviſſimi, Prudentiſſimi Civitatis Inclitæ Prætor, Conſules, Judices; Conſiliique Publici Participes atque Adminiſtri. Clariſsimi & rerum divinarum atque humanarum Scientiſsimi Collegæ. Venerabiles & Vigilantiſsimi gregis Dominici Paſtores. Quotquot adeſtis ſtudiis & ſtudiorum præmiis Inſignes & Ornati. Ut & Gratiſſima cujuſvis loci atque

que ordinis Præcipuorum Hoſpitum Manus. Voſque inprimis Lectiſſimi & Politiſſimi Juvenes, Spes Præſentium, Imago Poſteritatis, non Parentum magis ac Neceſſariorum, quam Noſtra Pignora, Vota, Deſideria.

Quod precabar à Deo Optimo Maximo, cum hanc annuam ſtationem quam corpore invalido tam ſollicitus & animi pendens capeſſerem; ut, ſi unquam conatus meos approbaſſet ac proſperaſſet, (de quo quod querar, non habeo; plus immo ſemper habui, quam merui) tum certe ſuccurreret infirmitati, & fle-

flebili principio lætiores exitus daret; utique, quod in ſinu ac viſceribus urbis graſſabatur, & in his quoque caſtis Muſarum ſedibus, diſceſſum, fugam, ſolitudinem fecerat, diro & inuſitato malo nos liberaret: ejus me voti damnatum, mihique à laborioſa & ancipiti cura, nobis omnibus à ſenſu aut metu peſtilentium languorum reſpirare tandem bona fide licere gaudeo, & dignum agnoſco, quod indulgentiſſimo bonorum omnium datori, quodque nobis invicem pie ac vehementer gratulemur. Eſt cœleſte numen! eſt qui ſupra nos negotium curat & variat ac diſtinguit tempeſtates, prout aut punire ac terrere contumaces aut dicto audientes, ſi propoſitum teneant, augere atque ube-

uberare, per ſocordiam vel imbecillitatem lapſos caſtigare ac revocare, denique prout ulciſci aut miſereri decrevit. Longe nunc alia rerum facies, quam cum hæc loca concurſu doctrinæ omnis æmulorum ſtipari ſolita, vel nudata omnino, vel ſemiplena & vacuis paſſim interlucentia ſpatiis quærerent turbam ſuam; quum viis & compitis vultus pallore ac macie peremtis ſimiles inerrarent ac velut umbræ vagarentur: cum quot domus, tot valetudinaria; cum unus omnium veſtitus habituſque color in lugubribus; cum officium nullum, tralatus nullus, nulla pompa, niſi funera ducentium, viſeretur; quum ferali juſtitio prolatæ res, miſſæ factæ recitationes, clauſæ tabernæ, con-

conſtitiſſent artes, opera, commercia; nihil exercitum præter deſignatores & veſpillones; ubique mœror, pavor, planctus, lacrimæ; ubique oculis ingeſta orbitas; ubique diſcidia cariſſimorum; ubique velut in procinctu teſtamenta; hæc quoque, dum dictantur & ordinantur, ſæpiusnumero vel mente vel ſpiritu deficiente irrita; deſtitutæ bene merentium ſpes; contra plurimum honoris, ubi antehac curæ atque amoris, tum luctus minimum. Nunc iterum iterumque Deo gratias, cum reſpiciunt nos meliora ſidera. Recuperavimus cœleſtium pacem. redierunt alcedonia, & quale res mortalium patiuntur, tranquillum & ſerenum, nec metuimus niſi communes & quotidianos

nos caſus. Non ab eis ipſis, quibus ali nos & foveri credebamus, oppugnamur intus & ſubruimur. Deſiit benigniſſima ubique mater Batava tellus hic noverca videri: deſiit infamari, quaſi tutelam incolentium gravaretur, & conſediſſemus, ubi ut in Acheruntis oſtiis, cum Orco rationem putare nos oporteret. Refecit corpora vigor, animos alacritas.

—— amor urget habendi
Munere quemque ſuo.

Et publicis privatiſque ſervimus negotiis. Excepit vaſtitatem frequentia, & licet ingentia præſidia atque ornamenta amiſerimus, non eſt cur ſuperſtitum & ſucceſſorum pœniteat. Cæterum ut meminiſſe præterito-

ritorum ſalubre, ad hoc maxime, ut illa, quibus tantam juſtiſſimi & ſupremi dedecorum vindicis ſeveritatem provocavimus, in poſterum procul habeamus, neque hanc lætitiam nobis luxuriari ſinamus, ſed pro viribus certam & propriam reddamus: ita ſemper deplorare triſtia (ubi præſertim facundiſſima ingenia ſatis id ſuperque præſtiterunt) & finem lamentandi nullum facere, nec virorum reor nec bona ſua intelligentium: & poſtquam juxta exorabilem votis ſuppliciiſque noſtris, quam peccatis iratus fuerat, Deum ſenſimus, ipſa pietas vetat fatis invidiam doloris inſania facere ac tempus gratiarum ore, pectore, omni vitæ ordine

204

emendato referendarum nihil profuturo luctu conſumere. Hactenus igitur hoc vulnus; tantum quod cicatrice ducta clauſum, & me pendente manu tetigiſſe ſufficiat. At orationi, quam ab ejurantibus & honore abeuntibus haberi mos eſt, aliud argumentum quærendum judicavi, ſumpſique quod proximum fuit; admonente ac latus vellente, quem non ita pridem enarrandum publice ſuſcepi, rerum Romanarum ſcriptore gravi & luculento, C. Cornelio Tacito. non ut laudibus ejus ſatis notis vos onerarem atque obtunderem: ſed cum in primo librorum annalium ingreſſu ac limine tractaremus artes & rationes, quibus reipublicæ orbem con-

convertit, atque à libertate ac conſulatu ad principatum deflexit C. Julius Cæſar Octavianus Auguſtus; ipſa in acroaſi pepulit ac percuſſit animum repentina cogitatio, haud ineleganter me facturum, &, quemadmodum ſcite Græci, κτῆμα vobis, non ἀγώνισμα, rem ſeriam, non ludicram, propinaturum, ſi quæ de *lege Regia* in mente jamdudum informata, partim in liturariis confuſe, ut quidque occurrerat, & incondite annotata ſervabam, digeſta & paullo limatius reſcripta vobis arbitris diſputarem. Eſt enim hæc quæſtio nobiliſſimæ ſubtilitatis, civilium peritis & antiquitatis amatoribus diu multumque verſata & jactata. de qua tametſi exhauſta om-

2 0 5

omnia, nec quidquam, quod dici poſſit, reliquum factum videatur, tamen quæ prima dici debuerunt, quaſi de compacto aut indicta aut non loco poſita reperio: eam porro ſententiarum varietatem, ut difficilis ſit electio; neque ulli tanta ſpecies veri, quin aliquo fuco, qui tamen nondiu fallat acrius intuentes, ſe reddat ipſa ſuſpectam. Quæ dum rebus advinco neceſſariis, paullisper aures propitias ut mihi commodetis, magnopere vos oratum venio, Auditores Honoratiſſimi & Solertiſſimi. quod ſi veſtra mihi, ut ſæpius antehac, indulſerit humanitas (non longum faciam nec plus quam brumalis horæ aquam poſtulo) enitar cum Deo

bene juvante, ut vos, magni & clari viri, quod oblectet, juventus, quod non inutiliter diſcat, acceperitis.

Principio, ne ludamus ambiguo ſermonis, *Legem Regiam* intelligimus rogationem, pſephiſma vel decretum, tabulas, inſtrumentum, formulam ſcriptumve publicum, continens capita pactorum & conditionum, ſub quibus auctoritate ſenatus & juſſu populi regnum alicui defertur, dictam à ſubjecta materia; ut *legem annalem*, *legem locationis*, *leges cujuſque publici*, *legem commiſſoriam* veteres appellitarunt: ut *legem curiatam de imperio* magiſtratuum; neque enim magiſtratibus in provincias & ad bellum ituris

faſ erat attingere rem militarem jure magiſtratus, ſed adepti magiſtratum centuriatis, imperium non niſi novis, & quidem curiatis nanciſcebantur comitiis. Sic C. Terentillus Arſa trib. pl. olim promulgavit, ut Quinqueviri crearentur legibus de imperio conſulari ſcribundis; *quod populus in ſe jus dediſſet, eo conſulem uſurum; non ipſos libidinem ſuam ac licentiam pro lege habituros* præferens. Quod ſi prævertendum ac præmuniendum viri præſtantiſſimi animadvertiſſent, temperaſſent in hoc cenſu deferre leges regias de capitali noxa mulieris prægnantis deque patria poteſtate; temperaſſent gravitate ſua minores gloriari ſe omnium primos *legem Regiam*, à multis & doctiſſimis & dili-

diligentiſſimis hominibus quæſitam, è T. Livio in lucem eruiſſe: quippe quas à regibus, non de regibus, rogatas vel cœco apparcat. At haud dubie legem qualem deſcripſimus, & hujus tituli, de Principis imperio latam, atque ejus vi ac beneficio omnem populi ipſumque in populum poteſtatem ad Cæſares rranſmeaſſe Ulpianus & bis Juſtinianus demonſtrant: eandem *Imperii legem* reſcriptum Alexandri Severi nuncupat: hoc eventu, ut non tam originem & auctoritatem partis in omni Juris corpore vel uberrimæ ac fulgentiſſimæ expoſuiſſe quam moram & nodum & ſcopulum ingeniis poſuiſſe exiſtimentur. Nam cum prætor hos nemo unus omnium, qui rebus geſtis

aut generatim atque univerſe aut mutata republica, qui vitis actiſque Cæſarum, qui jure, moribus, inſtitutis principis gentium populi egregiis aut directo aut ubi occaſio invitabat, referendis memoriæ poſterorum operam dederunt, plerique in longe minoris momenti rebus ſatis accurati & belle curioſi; horum, inquam, cum omnium nemo *Legis Regiæ* mentionem fecerit, quidam eo ſunt progreſſi, ut illam unquam promulgatam, nedum juſſam & acceptam, inficias irent, dicerentque id nomen inane ſine corpore ac ſpecie fuiſſe, merumque, ut ipſi loquuntur, σχῆμα βασιλικὸν aut φάρμακον vel σόφισμα πολιτικὸν, pro rerum potentibus menda-

cium,

cium, & prætextum atque obtentum pingendæ colore pulchro & excuſatius exercendæ tyrannidis, patremque ejus ſuſpicarentur hi Ulpianum, alii Tribonianum, qui Severo Alexandro aut Flavio Juſtiniano hanc ſcilicet adulationem tulerint expenſam. Nec mirum, cum & Legem Salicam in nobiliſſimo Francorum regno tot ſæculorum conſuetudine fundatam atque immobilem, quæ ſequiorem ſexum ſceptri arcet prohibetque hæreditate, pari ſuſpicione æmuli converberaverint. Alii parcius iſta vivis, memores nec Nilum ex numero amnium expungi, quod fontes ejus diu latuerint. Itaque ut in his reperiendis varie ſe priſca

induſtria fatigavit, ſic illi à diverſis capitibus legis hujus primordia derivant & arceſſunt. Plurimi ad ipſa Palilia & natales urbis regrediuntur, *Legem Regiam* non aliam rati, quam quæ Romulo pro veteri ſimplicitate, ut libitum, imperitandi copiam fecit; eam poſterius exapiam fecit; eam poſterius exactis ob Tarquiniorum ſuperbiam regibus cum cæteris eorundem placitis refixam, abolitam, intermortuam, poſtquam ad unum omnia conferri pacis interfuit, quaſi ab inferis excitatam & renatam, poſtliminio in poſſeſſionem ſuam rediiſſe. Sic Manutius, Cujacius, Hotomannus, Gifanius, ingentia nomina. Duodocim tabulas nonnulli trecentis poſt annis eam de-

dedicaſſe & priores introduxiſſe opinantur, atque interpolatione levi tributum uni, quod illic duobus aſſignabatur, hoc modo: *Regio imperio duo ſunto, hique præeundo, judicando, conſulendo, prætores, judices, conſules appellantor.* Sed hæc lex M. Tullii Ciceronis eſt Platonico more legiſlationis imaginem in ficta ad inſtar Romanæ & condenda republica adumbrantis; non Decemvirorum ſine perſona, ut poterant, agentium, quod ille ſimulabat; neque in Campo Martio, ſub Quirinali, ad Tiberim, tribus ordinibus claſſicorum civium, ſed in luco Arpinati, ſub quercu Mariana, ad Fibrenum amnem, Q. Tullio Cicerone & T. Pomponio Attico

tico Uti Rogas, dicentibus perlata eſt. Ecce autem, qui ad Sullanam dominationem deſcendant & Interregem proditum L. Valerium Flaccum inculcent, ferendo, ut rata eſſent, quæcumque L. Cornelius Sulla belli civilis victor cruentiſſimus egiſſet, iſque, quem vellet, civium indicta cauſa impune occideret, *Regiæ Legis* initium Romæ feciſſe: quæ in C. Julio Cæſare, cum dictator perpetuus diceretur, deinde in Auguſto & cæteris, qui imperatores perpetui creabantur, inſtaurata ſit. Nec defuit ſub ſpecie majoris accurationis audacia præciſe definiens & hoc fœtu nobilem reddens annum v. c. xxx & dcc, conſulatum Auguſti x, quum

Se-

Senatus in acta ejus jurare cœperit eumque omni legum neceſſitate ſolverit. Rurſum alii probabile cenſuerunt ab Auguſto immiſſum & ſubornatum, qui hujuſmodi quid ad populum ferret; inque id privilegium, nemine factum mutante aut in diſquiſitionem revocante, & poſteros ejus ſucceſſiſſe, poſt exſtinctam ſtirpem poſtque Galbæ, Othonis, Vitellii arma, in Veſpaſiano renovatum, quo mediocri ortus loco ad eandem magnitudinem auſpicatius & non tantummodo per arma procederet. Ne hac quidem fini ſteterunt ſed viſum aliis majeſtatem reipublicæ, quum Cæſar Julius primum, mox Octavius Auguſtus, populo metu eripuerint,

rint, eam demum Veſpaſiano lege regia eſſe collatam: aliis ante Veſpaſianum *Legem Regiam* nullam fuiſſe; vel ſi fuerit, aut emendicatam aut vi extortam. Alii denique totum negotium deſperantes ſplendide miſerantur Leges & Senatuſconſulta de ſtillicidiis, aquæductibus, aleatoribus & fullonibus & hujuſmodi minutis de rebus non obruiſſe oblivionem vetuſtatis; qua lege imperium orbis terrarum ac poſſeſſio humani generis ad unum pervenerit, præter nomen nihil ſciri. Habetis, quod profecto ſine ignominia tantorum virorum exaudiatis velim, Andabrataum aut pugilum catervariorum certamen. Reſtant noſtræ partes: quas non extra-

ham confutandis illorum ſententiis (id ipſi fere inter ſeſe occuparunt auctores) ſed patefacta & perſpecta veritas facile omnes deprehendet ac diſcutiet errores. Hoc igitur pro explorato ponimus, cum exoreretur Cæſarum potentia, Legem uno ſpiritu & contextu ſcriptam ac cohærentem, hoc nomine & hac formula, id eſt, qua jam tum *Lex Regia* dictitaretur, & qua populus omne ſuum & ſui jus, imperium, poteſtatem, verbis ita conceptis & expreſſis abdicaret atque in principem tranſmoveret, ſancitam eſſe nullam, nec ferri eam vel aures populi Romani vel pudorem Principum toleraviſſe. Id colligimus non ex ſilentio ſcriptorum (etſi quia

quia nec factum eſt nec fieri potuit, ideo ſilent illi) non ex aliis, quibus plerique ratiunculis velitantur & ludunt: ſed duo mihi ſunt hujus definitionis pignora, quibus nihil nec certius nec validius: alterum incredibilis invidia, infamia, odium, deteſtatio, quæ inoleverat, *Regis*, & *Regni* & *Regii* cujuſvis in homine Romano: alterum ſumma & antiquiſſima cura Principum, ut quod habebant actitabantque, præſtigias quaſdam oculis vulgi faciendo celarent & habere atque actitare ne viderentur. P. Cornelius Scipio poſt victoriam ad Bæculam à principibus & regulis Hiſpanorum ingenti conſenſu Rex nuncupatus, patriam ſuam, ut canit Silius,

— *no-*

— nomina Regum
Monſtravit non poſſe pati ;

apud Livium, *Regium nomen alibi magnum eſſe, Romæ intolerabile*, reſpondit. Cui Romano *regnum* objectari, ipſum, præter ſacrificum Pontifici tamen ſubjectum, & ſi quis eſſet de Marcia familia, *Regem* nominari contumeliam ducebant & atrox convitium, nihil aliud ſignificans quam inſtituta & meditamenta hominis in libera civitate non ferendi. M. Tullius Cicero quam prius dixit Rulli & collegarum *infinitam & intolerandam licentiam*, id poſtea *regnum decemvirale* appellat, & lege Rulli queritur id actum, ut *decem reges* in civitate conſtituerenrur: qua invidia effecit, ut populus

Romanus legem agrariam, hoc eſt, ſua alimenta, antiquaverit. Ipſum Ciceronem P. Clodius inimicus *Regem*, L. Manlius Torquatus in judicio adverſarius *tertium regem peregrinum* Romæ poſt Numam & Priſcum Tarquinium agere ferre cuncta criminabantur, quaſi Catilinæ ſociis in præſentiſſimo ſummæ reipublicæ diſcrimine de ſententia Patrum ſupplicio affectis indemnatos cives necaſſet. Octavius quidam motæ mentis venia liberius dicax in frequenti conventu Cn. Pompejum *Regem*, C. Julium Cæſarem *Reginam*, magno cum utriuſque rubore ac dolore ſalvere juſſit. M. Manlius Capitolinus & Ti. Sempronius Gracchus immanibus

ja-

jacturis & largitionibus plebe devincta, quum ſuſpicionem affectati regni & poſtulati diadematis præbuiſſent, deſtituente utrumque etiam factione ſua, miſere ambo perierunt. L. Appulejo Saturnino trib. pl. exitium acceleravit, quod per tumultum C. Memmio conſulatus petitore occiſo *Regem* ſe à ſatellitibus ſuis celebrari lætus audiſſet. Plebem ingenuam ſtupris polluere, coli altaribus & victimis via lauro & roſis conſtrata *regium morem* Tacitus. Laniſtæ *regia verba* Juvenalis, nempe ad venditos in ludum, ad pœnæ ſervos, adauctoratos uri, vinciri, virgis & ferro necari, incedere vultu ſuperbo inter trecenta cadavera carnificis ſecuri facta

213

ſta *rem regiam* Voleſus apud Senecam appellant: Ergo Julius quamvis honores humano majores admitteret multos, Regium etiam nomen flagrantiſſime cuperet, id accipere non eſt auſus: ſed plebi *Regem* eum ſalutanti, Cæſarem ſe, non regem eſſe reſpondit, & à M. Antonio Lupercalibus diadema impoſitum capiti ſuo rejecit & Jovem Capitolinum eo juſſit redimiri: denique maturavit illi perniciem rumor, quod oracula Sibyllina Parthos, niſi à rege poſſe vinci negarent, proximo Senatu actum iri, ut ipſe in eos expeditionem meditans dumtaxat extra Italiam Rex diceretur, & pro laurea candidam faſciam geſtaret. Auguſtus autem dictaturam

ma-

magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore quaſi percuſſorem expoſceret & cedi ac perire, quam imperii genus adeo inviſum & incivile tractare mallet, deprecatus eſt: Romulum & Quirinum ſe vocari, velut alterum Urbis & imperii conditorem, non indelectatus primo, mox cogitans non poſſe id vocabulum uſurpari, quin regni admoneret, metuit vetuitque: domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruit: ut pro ſingulari moderationis exemplo in eo laudetur non *regno neque dictatura, ſed Principis nomine rempublicam conſtitutam.* Pari ambitione abſconditum & diſſimulatum

ibant immodicæ poteſtatis modum & ſe creviſſe de republica neſciri atque in arcanis haberi volebant: adeo ut ſimpliciori-bus & incautis minuſque tectis aliquando capital fuerit, quod impudentem mimum intelligerent, prodidiſſe. Quid modeſtius illo, *Depoſito triumviri nomine Conſulem ſe ferens ad tuendam plebem tribunicio jure contentum?* Quantus oſtentator civilitatis, qui longa magis & ſpecioſa quam fida oratione ipſe principatum ſibi abrogavit, & arma, provincias, vectigalia, leges & judicia Senatui reſtituit, nec niſi ultimis precibus fatigatus gravatim recepit, quæ nunquam arctius firmiuſque adſtrinxerat, quam cum dimittere ſe fingeret:

ret: ac ne tum quidem recepit in perpetuum, ſed primo in decennium; tum in quinquennium, & eo circumacto in aliud quinquennium, poſt rurſus in decennium, & ſic deinceps, prius ut vitam quam has prorogationes quinquenniaque & decennia terminaret; ut ſimul & perpetuum imperium obtineret, & non niſi temporarium ſumpſiſſe crederetur. Quam non avidus omnis detrahendæ populo, ſibi arrogandæ poteſtatis, qui provincias inermes donavit; quæ caſtris coërcebantur, ſibi agglutinavit, ita ut, cum utrumque genus per allegatos (comitia quippe ſui beneficii fecerat) regeret, opinionem ſereret labores & pericula bellorum ac

rebellionum in ſe ſuſcipientis, magiſtratibus cum honore, juriſdictione, faſcibus, beatum & ſecurum otium præſtantis. Qui ærarium jam ab effractura Julii averſum & velut uſucaptum populo reddidit, ipſe ſibi voce viliore ac propemodum ſordida (cui primus tam honeſtam impoſuit ſignificationem) *fiſcum* inſtituit, ut quum publicis pecuniis, perinde ut ſuis, abuteretur, ne attingere quidem illas, tanquam ſuæ diſpoſitioni exemptas, vulgo putaretur. Qui eadem magiſtratuum vocabula, eadem inſignia tulit, commoda auxit, inque provincias ab ſeſe Proprætorum loco, ab Senatu Proconſulum, ampliore titulo & pluribus lictoribus, quaſi à

ma-

majore poteſtate miſſos eſſe voluit. Juſtum volumen exiret, ſi conquirerem omnia, quæ ille, quum parte nulla imminueret quæſitam ſemel potentiam, fecit & comparavit, ut mirifice imminuiſſe, ac ſubmiſiſſe, quibuſdam etiam prudentibus judicaretur. Neque immemor callidi magiſtri diſcipulus Tiberius. Jam primum qui pœne adhuc animam agente Auguſto principatum neque corripere neque agere dubitaſſet, eundem oblatum pertinaciſſime recuſare; cuncta incipere per conſules tamquam veteri republica & ambiguus imperandi, procumbentibus demum ad genua Patribus concedens; queri ſibi oneroſam injungi ſervitutem ab iis, qui

216 - 12

neſcirent, quanta bellua eſſet imperium; paciſci ne ulterius teneretur, quam donec illis æquum poſſet videri dare requiem ejus ſenectuti. Quid cum palam præfatus eſt aurea illa verba: *Dixi & nunc & alias ſæpe P. C. bonum & ſalutarem principem, quem vos tanta & tam libera poteſtate inſtruxiſtis, Senatui ſervire debere, & univerſis civibus ſæpe, & plerumque etiam ſingulis: neque id dixiſſe me pœnitet, & bonos & æquos & faventes vos habui dominos & adhuc habeo.* Præterea conſulibus adſurgebat, & decedebat via, utque ipſum præceptorem vinceret, non Conſulem ſe ferebat, ſed Senatorem: quod nec Nero invitus audivit à Beneventanæ

ſutri-

ſutrinæ alumno Vatinio, in illo exquiſitæ adulationis joco, *Odi te, Cæſar, quia ſenator es*: & epigrammatum argutiſſimo Poëtæ verius & ſine fuco Trajanus, *non dominus, ſed imperator, ſed juſtiſſimus omnium Senator*. At Claudius etiam *unum ſe civium* profiteri non erubuit. Sed maneamus in Tiberio, qui adeo decepit homines externa illa reverentiæ ſpecie, ut legati ex Africa eum apud Senatum accuſarent, querentes ſe trahi à Cæſare, roganteſque, ut quaſi miniſtrum & officialem ſuum expedire ipſos compellerent. Itaque merito Mathematicus ille de infante ſpopondit, regnaturum quandoque, ſed ſine regio inſigni, *ignota* ſcilicet *adhuc*, ut ait Sue-

Suetonius, *Cæſarum poteſtate.* Quare ignota, niſi quod ipſi eam omnibus integumentis occultabant & obſcurabant, nec patere, quantum pateret, patiebantur, ut minore cum invidia, ſine faſcino, ſine inſidiis ea fruerentur. Hos igitur eo ingenio præditos tantiſque agentes artibus, tali tamque exoſo Regium nomen tempore, commiſiſſe, ut aliquid, quod de illorum dignitate ferretur, *Regium* proclamaretur, atque in eo imperatorem populum uni ſeſe addixiſſe & obnoxium feciſſe, & omne ſuum atque in ſe jus judiciumque tranſdidiſſe & velut ſequeſtro poſuiſſe, inſolentiſſime ac ſuperbiſſime jactaretur, quaſi libertatem proſtratam palam pedibus

dibus calcarent aut catenatam ante currum ducerent; non ajo docto, ſed tantum ſano & conſipienti cui poteſt probari? Attamen non minus pro explorato & indubitato ſtatuendum eſt, etſi tanta eſſet averſatio nominis, tamen rem exſtitiſſe ſine nomine, atque id ipſum tempus, quo *Legem Regiam* neque audire quiſquam hoc ſenſu neque loqui tacitum ferret, & tam dominantes quam ſervientes abominarentur, id, inquam, fuiſſe ipſum tempus, quo illa, quæ à poſterioris ævi Jureconſultis, hac quoque parte optimis Latini ſermonis auctoribus, veriſſimo, aptiſſimo & elegantiſſimo vocabulo *Lex Regia* denominata eſt, cum maxime naſcebatur, in-

inſinuabat, obrepebat; non ſemel & confertim, non uno ictu atque impetu, ſed paullatim, morando, per intervalla,

Utque hominis ſpeciem materna ſumit in alvo
Perque ſuos intus numeros componitur infans,

ſic illa per ſpiramenta quædam perque incrementa diſpenſata & fallentia convaluit. Hoc, quod jam mihi planum faciendum eſt, quamvis utramque paginam hiſtoriæ iſtorum temporum faciat, & obvium ſit, neminem tamen ad hoc uſque, quod ſciam, advertit. Itaque ſemper quæſitus Oſiris, ſemper clamatus Hylas, neque uſquam inventi: dum enim exſpectant & circumferunt oculos, ſic ubi occurrat uno verſiculo & continenti ſcriptura

tra-

traditum: Velitis, jubeatis, Quirites, ut ſit Lex Regia & populi omnis in ſe ſuoſque poteſtas ab ipſo ad Cæſarem transferatur; eandem prorſus rem plus centum verſibus ſparſam & obtutum nuſquam fugientem videre non potuerunt. Ut ſi quis Mercurii acervo conſpecto anxius ſciſcitetur, quis mortalium, quanto ſarraco vel plauſtro, quo die in eum locum tantam molem lapidum convexerit; qui omnino non convecti, ſed conjecti ſint & quidem longo tempore ac manibus mille prætereuntium. Sed ad rem accingimur. C. Julius Cæſar, bello civili orto, poſtquam ab Urbe & ex Italia diverſa factione fugata, victiſque in Hiſpania Cn. Pompeii

peii Magni legatis domum rediit, M. Æmilius Lepidus eum Prætor, contra morem majorum, inimicis & ſimulatis comitiis à populo juſſus, Dictatorem dixit. Poſt Pharſalicam victoriam permiſerunt ei conſulere in Pompejanos, utcùmque vellet, ac pacis bellique arbitrium, & cogendi ductandique exercitum adverſus quoſvis ac viciſſim pacificandi facultatem, etiamſi nihil ea de re neque ad Senatum retuliſſet, neque populum rogaſſet. Præterea congeſſerunt ei conſulatus continuos in quinquennium, dictaturam non ſemeſtrem ſed annuam, tribuniciam poteſtatem per omne vitæ ſpatium. Quantus hic ad *Legem Regiam* gradus fuerit, ex hoc

po-

poſtremo vel ſolo cognoſcitur, quod *ſummi faſtigii* vocabulum Tacitus prædicat. Adſtruxit Africana victoria magiſterium morum in triennium, in decem annos dictaturam, in ſenatu ſellam curulem mediam inter duos cujuſque temporis conſules; utque ſemper primus ſententiam rogaretur, ludis Circenſibus mappam mitteret; honores, quos eis dignos judicaſſet, aſſignaret, & quicquid comitiis agere, ſciſcere, dare populus conſueſſet, ipſe per ſe adminiſtraret atque curaret. Poſt prælium ad Mundam adjecerunt Imperatoris prænomen, & ipſi & liberis nepotibuſque, quos relicturus eſſet: neu quis par illi militiæ imperium haberet aut rei con-

fectæ ſummam & gloriam ſibi vindicaret, utque omnia belli ſecunda illius auſpiciis accepta referrentur. Tum conſulem in decennium, ut antea dictatorem, deſtinarunt; ſolum milites ſacramento tenere, ſolum publicas pecunias tractare, nec quemquam alium, injuſſu ejus, juſſerunt. Patris etiam Patriæ cognomentum addiderunt: nummos ejus imagine ſignarunt: cenſorem perpetuum creaverunt: qui facto vel dicto eum læſiſſet, ut ſacrum & inteſtabilem & nefarium devoverunt: cuſtodiam corporis ejus è ſenatorio & equeſtri ordine lectis mandarunt: denique omnia ut acta rata eſſent & infirmari non quirent, ſanxerunt. Taceo inania, quæ

tamen & ipſa magnam ſpeciem apud vulgus habuere, veſtem triumphalem, faſtigium in ædibus, templum clementiæ Cæſaris, Flaminem, Lupercos, in Circo tenſam cum ſella aurea & corona gemmata, ſtatuas juxta reges & deos, & multa ſimilis vanitatis. Interim quũ hæc ceſſaſſent una cum ipſo Julio, & interlapſi eſſent quaſi duo & viginti anni Triumvirorum conſtituendæ reipublicæ, in victore apud Actium Octaviano eadem *attritis humiles labellis blanditiæ* accumulaverunt: ſed rurſus diviſa temporibus, ne omnia pariter, ſub unam, ut ajunt, Myconon coacta, invidioſiora eſſent. Statim continui ſeptem conſulatus, & tribunicia poteſtas, ut-

221

que ei quam intra pomœrium tam extra (quod nec tribunis conceſſum) uſque ad mille paſſuum auxilii latio eſſet; tum provocatio à judicibus, & ad omnia tribunalia Minervæ calculus. Quod explicandum eſt, quando & Caſſii Dionis interpretes, & qui poſtremi hoc argumentum occuparunt, in eo turpiter ſunt allucinati. Quis enim intelligat, ut ſuffragium, quaſi Minerva, ferret? quis, ut calculus quidam nomine ipſius, velut & Minervæ, ferretur. Nec *Minervæ calculus* exactum judicium eſt, contrarium illi, *Sus judicavit*, & per ironiam diſſimulantiamque in ſtupidum & nullius judicii hominem jacitur; non ſuffragium, à quo provocare

re non licet, quia Jupiter ſcilicet Minervæ petenti nihil negaverit: non ſapientiſſimum & Ciceroni dictum Archimedium conſilium, quod ſequendum omni tempore ſenatus putaret: quæ doctorum virorum ſunt interpretationes. Veteri fabulæ debetur hoc proverbium. Narrant enim, quum Oreſtes in Areopago matris interfectæ, ut patrem ab ea honore adulteri cæſum ulciſceretur, cauſam diceret; una ſententia viciſſe condemnantes; id irritum feciſſe repentinam velut à machina Palladem, quæ ſuum calculum adjunxerit abſolventibus, juſque prodidiſſe, ut paribus ſententiis mitior valeret ac rei abſolverentur: & ſic tum quoque

222

Oreſten evaſiſſe. Ergo *Minervæ calculum habere* ad judicia pertinet, non ad deliberationes curiæ, & ſignificat pares ſententias facere, non præciſe, ubi una tantum prævalent ſeveri, ſed quantumcumque numerum clementiorum ſuppleri oporteat; & per conſequentiam convictis & damnatis ſupplicium remittere atque impunitatem concedere poſſe; quod ſine dubio privilegium & pars ſummæ poteſtatis ducitur. Sen. 1. Clem. 5. *Occidere contra legem nemo non poteſt: ſervare nemo præter me.* Acceſſit, ut ſacerdotes & Virgines Veſtales, quoties pro ſenatu populoque vota conciperent, Cæſarem quoque nominatim diis commendarent: utque ille in ſacer-

cerdotum collegia, qui placuiſſent, etiam ſupra numerum juſtum allegeret. A.V.C. DCCXXIV tributum ei liberiſque ac nepotibus, ut ante Julio, Imperatoris prænomen. Sequente quintum conſul provincias quaſdam patribus reddidit leonina ſocietate, atque in magno beneficio dedit, ut illos inermes imbelleſque deſtitueret, ipſe quinque & viginti legionibus immenſiſque auxiliis ſuccinctus, & inſuper Italiam duabus claſſibus Miſenenſi ac Ravennate, Urbem decem prætoriis, tribus urbanis cohortibus obſideret. Cui narrationi merito ſubjicit Dio (ipſa enim verba referre operæ pretium eſt) Οὕτω μὲν δὴ τότε τοῦ δήμου καὶ τὸ τῆς γερουσίας τὸ πᾶν κράτος εἰς τὸν

Αὐγουστον μελέτη. *Hoc pacto & populi & ſenatus omne imperium ad Auguſtum tranſiit*. Nam hoc quoque cognomento, circa idem tempus, conſulatu nempe ſeptimo, ex ingenio & de ſententia L. Munacii Planci, magni oratoris, ſed (quod ei teſtimonium Seneca perhibet) adulatorum Romæ ante L. Vitellium maximi, ſuperbire cœpit, ut non modo ſupra ſortem mortalium ante obitum beatus, ſed præſens divus haberetur, & jam tum, dum coleret terras, ut ait Florus, nomine ac titulo conſecraretur. nam *auguſtus* proprie nihil aliud quam ſanctus, dicatus, ſacratus, inauguratus. A. DCCXXX conſuli nonum confirmata denuo tribunicia poteſtas per-

perpetua, & decretum jus relationis faciendæ quovis ſenatu, qua de re vellet, quamvis non conſuli, & imperium proconſulare majus in omnibus provinciis, quam qui eis præeſſent, abſque neceſſitate deponendi ejus, ſi urbem intraſſet, aut renovandi, cum exiret. Biennio poſt, ut quoties libuiſſet, ſenatum indicere poſſet, etiam extra legitimos dies. Et poſt duos iterum annos cenſura in quinquennium, conſularis poteſtas, quoad viveret, utque duodecim faſcibus, quacumque iret, licet aliis conſulibus, ſubmoveret, interque conſules ſella curuli medius ſederet: utque conſtitueret omnia, ut ei viſum eſſet, legeſque ferret, quas voluiſſet, quæ Augu-

ſtæ dicerentur, & in quas omnes jurarent. Super hæc mortuo M. Æmilio Lepido Pontificatus maximus, & omnium ſacerdotum cærimoniæ. Itaque Dion in ſummam colligens, quid quos per titulos potentiæ principibus accreviſſet, Per Imperatorum nomen, inquit, conſequuntur, ut poſſint exercitus contrahere, pecunias deſcribere, bella ſuſcipere, pacem facere, domi & in provinciis pro poteſtate omnia jubere, ſenatorum quoque & equitum in ipſa urbe delicta capite punire, & quæcumque audent ſummum imperium adepti. Quod Cenſores dicuntur, in vitam & mores civium inquirere, cenſus agere, in ſenatorium & equeſtrem ordinem adſcribe-

re,

re, & eiſdem ordinibus, quos libet, movere, ærarios facere, vectigalia omnia & opera facienda locare & ſarta tecta exigere. Quod omnibus ſacerdotiis initiantur, in ea collegia ſibi probatos adſciſcere, & religionū quicquid eſt, dierumque varietatem & ſacra tum publica tum privata in ditione habere. Per tribuniciam poteſtatem intercedere omnibus, quæ adverſus illorum ſententiam fiunt; utique ſacroſancti ſint, atque etiam nihil aliud quam durius de ſe actiſque ipſorum opinatos, indicta cauſa, tamquam piaculo obſtrictos, occidere queant. Per Patris patriæ nomen (quam tamen ſceleſtam adulatorum interpretationem tam mitis tituli reor) ut quod more

more Romano civibus patribus in liberos jus vitæ ac necis, in cives Principi datum oſtenderetur. Lepidum eſt autem memoratu, qua fabrica legum omnia impedimenta perfregerit, eiſque ſolutus ſit Auguſtus, ſi vera ſcribit hanc in rem Dio, quod tamen habet non parum dubitationis. Conſul decimum, cum ab Hiſpania ſubacta reverteretur, pronuntiavit congiarium plebi viritim denarios centenos; ſimul autem nec numeraturum ſe neque ea de liberalitate edictum propoſiturum, priuſquam ſenatus auctor fieret, denuntiavit. O ludibria! quantum eſt in rebus inane? qui ſine ſcrupulo totum invito & ſenatu & populo imperium rapuerat ac digito

tem-

temperabat, is, homo timidus ſcilicet, virginali verecundia non audet obfirmare ſeſe, ut tribubus de ſuo ipſorum minam vel quadringentos ſeſtertios nummos adſpergat, quaſi depeculaturus ærarium & legi Cinciæ fraudem facturus, niſi ſenatus frontem ejus tam infirmam perfricuiſſet. At quid adulatores? Cenſent, inſtant, vincunt, ut omnibus vinculis juris exſuatur, & liberrimo ſolutiſſimoque rerum omnium arbitrio, ſui & legum compos, quicquid velit, faciat; quicquid nolit, omittat. Nunc interrogo conſcientiam veſtram, ſatin' hæc regia? & plus quam regia? etiamſi tum, quum fierent, *Legis Regiæ* mentio atque uſurpatio religioſiſſi-

me vitaretur : ſatin populus & imperium & libertatem ſuam Principi ſic gratificabatur; etſi verborum talium apertam & dilucidam orationem refugerent; & illi ſimpliciter ac ſine figura ſe dediſſe, hi accepiſſe tam improbum donum diffiterentur. Porro ſic primi : non ita cunctanter ſucceſſores. Equidem ſenatus auctoritatem interponebant & illi : at non per tot gradus, articulos , ambages, furtim in arcem erepebant : quippe qui, quæ duobus iſtis vellicatim & ſaltuatim, prout occaſio inciderat , per metum , imagine meritorum , obtigerant , ea ſemel, uno ſenatuſconſulto coacervata & ingeſta in ipſo principatus aditu arroganter invaderent.

Vi-

Videres interdum, qui nomen
unum alterumve aut omnino
aut ad tempus remitterent: ut
Patris patriæ Tiberius moribus
ſuis diffiſus, quo & plures æquo
animo aliquandiu caruerint ob
ætatem, ut Cajus & Nero, vel
ſpe facta ſe prius aliquid eo elo-
gio dignum edituros: ut *Impe-
ratoris* prænomen faſtidierunt
Tiberius & Claudius; *Auguſti*
Vitellius diſtulit, *Cæſaris* in per-
petuum recuſavit. Sed jura &
poteſtatem omnem avide ſta-
timque induebant: atque etiam
quæ repudiarent aut proferrent,
cenſeri & deferri ſibi lætabantur.
De Tiberio meminiſtis ex ſupra-
dictis & plane Dio *decretum ei à
Patribus cum aliis nominibus &
Imperatorium.* Quæ vis eſſet il-
lorum

lorum nominum, etiam diximus. Planius Cajum *omnia, quæ tanto imperii tempore ad Auguſtum honeſtandum, vix ea quidem & ſingulatim excogitata eſſent, quorum nonnullis & Tiberius abſtinuerat, uno die arripuiſſe.* Claudio apud eundem *conſules militibus aſſenſi, quæ mos eſt Principibus*, decerni curarunt. In Nerone *ſententiam militum ſecuta Patrum conſulta* memorat Tacitus, & Suetonius *appellatus militibus in curiam delatum ex immenſis, quibus cumulabatur honoribus tantum Patris patriæ nomen recuſaſſe propter ætatem.* Galbæ omnia, quibus principatus excelleret, properata refert Dio, & Plutarchus ante exſpectatum in Hiſpania præſto fuiſſe

cum

cum aliis T. Vinnium, quæ ſenatus ſtatuiſſet, renuntiantes. De Othone Tacitus, *Accurrunt*, inquit, *Patres, decernitur Othoni tribunicia poteſtas & nomen Auguſti & omnes principum honores.* Qui & de Vitellio: *In ſenatu cuncta longis aliorum principatibus compoſita ſtatim decernuntur.* Itemque de hujus domitore: *At ſenatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano decernit.* Inſigniter vero Aes Capitolinum Corinthiis ipſoque auro pretioſius, & monumentum antiquitatis unicum, verumque exemplum tantæ ordinationis & ſolæ reliquiæ comitiorum imperii orbis terrarum. de quo quod ſupereſt (nam principium longa dies & barbaries temporum nobis

228

bis invidit) ſine damno materiæ & quadam quaſi prævaricatione, in hujus cauſæ diſcrimine præteriri non poteſt. Itaque dabitis hanc veniam mihi, ut id nunc quoque recitari patiamini. Sic autem ſonat: I. FOEDUSVE CUM. QUIBUS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. UTI. LICUIT. D. AUGUSTO. TI. JULIO CÆSARI. AUG. TIQUE. CLAUDIO. CÆSARI. AUG. GERMANICO. II. UTIQUE. EI. SENATUM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE SENATUSCONSULTA. PER RELATIONEM. DISCESSIONEMQUE. FACERE. LICEAT ITA. UTI. LICUIT. D. AUGUSTO. TI. JULIO. CÆSARI. AUG. TI. CLAUDIO. CÆS. AUG. GERMANICO. III. UTIQUE. CUM EX. VOLUNTATE. AUCTORI-

TA-

TATEVE. JUSSU. MANDATU-
VE. EJUS. PRÆSENTEVE. EO
SENATUS. HABEBITUR. OM-
NIUM. RERUM. JUS. PERIN-
DE. HABEATUR. SERVETUR.
AC. SI. E. LEGE. SENATUS
EDICTUS. ESSET. HABERE-
TURQUE. IV. UTIQUE. QUOS
MAGISTRATUM. POTESTA-
TEM. IMPERIUM. CURATIO-
NENEMVE. CUJUS. REI. PE-
TENTES. SENATUI. POPULO-
QUE. RO. COMMENDAVERIT
QUIBUSQUE. SUFFRAGATIO-
NEM. SUAM. DEDERIT. PRO-
MISERIT. EORUM. COMITIIS
QUIBUSQUE. EXTRA. ORDI-
NEM. RATIO. HABEATUR
V. UTIQUE. EI. FINES. POMOE-
RII. PROMOVERE. CUM EX
REPUBLICA. CENSEBIT. ESSE
LICEAT. ITA. UTI. LICUIT
TI. CLAUDIO. CÆS. AUG. GER-
MANICO. VI. UTIQUE. QUÆ-

E 3 CVM-

CUMQUE. EX. USU. REIPUBLICÆ. MAJESTATE. DIVINARUM HUMANARUMQUE. RERUM ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE FACERE. JUS. POTESTASQUE SIT. ITA. UTI. D. AUGUSTO TIQUE. JULIO. CÆS. AUG. TIQUE. CLAUDIO. CÆS. AUG. GERMANICO. FUIT. VII. UTIQUE. QUIBUS. LEGIBUS. PLEBEIVESCITIS. SCRIPTUM. FUIT NE. D. AUGUSTUS. TIVE. JULIUS. CÆS. AUG. TIQUE CLAUDIUS. CÆS. AUG. GERMANICUS. TENERENTUR. IIS LEGIBUS. PLEBISQUESCITIS IMP. CÆSAR. VESPASIANUS AUG. SOLUTUS. SIT. QUÆQUE. EX. QUAQUE. LEGE ROGATIONE. D. AUGUSTUM TIVE. JULIUM. CÆS. AUG. TIVE. CLAUDIVM. CÆS. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT. EA. OMNIA. IMP.

CÆS.

CÆS. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT. VIII. UTIQVE QVÆCVMQVE. ANTE. HANC LEGEM. ROGATAM. ACTA GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMP. CÆS. VESPASIANO. AVG. JVSSV. MANDATVVE. EJVS. A. QVOQVE FACTA. SVNT. EA. PERINDE JVSTA. RATAQVE. SINT. AC SI. POPVLI. PLEBISVE. JVSSV ACTA. ESSENT. *SANCTIO.* SI QVIS. HVJVSCE. LEGIS. ERGO ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVESCITA SENATVSVECONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD EVM. EX. LEGE. ROGATIONEVE. PLEBISVESCITO. SENATVSVECONSVLTO. FACERE OPORTEBIT. NON. FECERIT HVJVS. LEGIS. ERGO. ID. EI NE. FRAVDI. ESTO. NEVE QVID. OB. EAM. REM. POPVLO

DARE. DEBETO. NEVE. CVI DE. EA. RE. ACTIO. NEVE JVDICATIO. ESTO. NEVE. EA DE. RE. APVD. SE. AGI. SINITO. Ab hoc ſingularis exempli monumento tam aperte poteſtatem plus quam civilem, atque etiam dictatoria majorem ſubſcribente, tantus fulgor promicat, ut omnes tantum non cæcos & exſtinctos feriat & præſtringat oculos. Ergo hic, tanquam in incili aqua ſatagentibus adhæſit; circa hunc orbem morantur & luctantur, alii totum æs peregrinitatis & ſuppoſitionis arguentes, quod eſt nodum gladio ſolvere, vel potius jejunum & dilutum hac in ſtudiorum parte judicium confiteri; alii cum Veſpaſiano natam legem Regiam, aut, undecumque naſceretur, & qui-

quidem ſi diis placet, tum relatam, ob novitatem gentis & perſonæ, hariolati. Ego vero nullus ambigo, quin à Tiberio uſque ad Romulum Auguſtulum, in occidente imperantium ultimum, tranſlati principatus par foret ingreſſus in ſcenam, & mutato Cæſare formula prorſus eadem & perſcriptione, paucis, ſi forte, interlitis, idem Senatuſconſultum repeteretur. De Marco & L. Vero rurſum Capitolinus: *Actis, quæ agenda fuerant in ſenatu* (hoc eſt, ſolemnibus Senatuſconſultis perfectis) *pariter caſtra prætoria petiverunt.* De Pio Antonino: *Adoptatus eſt quinto Calendas Martias die, in ſenatu gratias agens quod de ſe ita ſenſiſſet Hadrianus; factuſ-*

que eſt patri & in imperio proconſulari & in tribunicia poteſtate collega. Qui autem factus? nempe, ut quæcumque auctoribus Patribus fiebant, & in illo ampliſſimo ſummoque Orbis terræ conſilio conſtituebantur, per Senatuſconſultum. Idem in Vero: *Defuncto Pio Marcus in eum omnia contulit, participatu etiam imperatoriæ poteſtatis indulto, ſibique conſortem fecit, cum illi ſoli ſenatus detuliſſet imperium. Dato igitur imperio & indulta tribunicia poteſtate, proconſulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit.* De Pertinace: *Ea die, qua Auguſtus eſt appellatus, etiam Patris patriæ nomen recepit: ſimul etiam imperium proconſulare nec non jus*

jus quartæ relationis. Spartianus de Didio Juliano : *factoque SC. imperator eſt appellatus & tribuniciam poteſtatem, jus proconſulare, in patricias familias relatus emeruit.* quem & *SC. fieri de participando imperio cum Severo* feciſſe ſcribit. Capitolinus denuo in Opelio Macrino: *poſteaquam conſtitit* Caracallam *occiſum ſenatus in eum, velut in tyrannum invectus eſt. Denique ſtatim Macrino & proconſulare imperium & poteſtatem tribuniciam detulerunt.* Lampridius in Alexandro Severo : *Auguſtum nomen recepit, addito eo, ut & Patris patriæ nomen & jus proconſulare & tribuniciam poteſtatem & jus quintæ relationis, deferente ſenatu, uno die aſſumeret.*

Ca-

Capitolinus in Gordianis: *Intereſt, ut Senatuſconſultum, quo Gordiani imperatores appellati ſunt, literis propagetur.* In Maximo & Balbino idem: *Decretis ergo omnibus imperatoriis honoribus atque inſignibus, percepta tribunicia poteſtate, jure proconſulari, pontificatu maximo, patris etiam patriæ nomine, inierunt imperium.* Similia de his Herodianus. Vopiſcus in Aureliano: *ex SC. Tacitus factus eſt imperator.* Et in ipſius Taciti vita: *Habet bibliotheca Ulpia in armario ſexto librum elephantinum, in quo hoc SC. perſcriptum eſt, cui Tacitus ipſe manu ſua ſubſcripſit. nam diu hæc Senatuſconſulta quæ ad principes pertinebant, in libris elephantinis ſcribebantur*

bantur. Apud eundem in Probo Manlius Statianus, qui primæ ſententiæ tunc erat: *Decerno igitur P. C. votis omnium concinentibus nomen Cæſareum, nomen Auguſtum, addo proconſulare imperium, patris patriæ reverentiam, pontificatum maximum, jus tertiæ relationis, tribuniciam poteſtatem. Poſt hæc acclamatum eſt, Omnes, omnes. Accepto igitur hoc Senatuſconſulto.* Hactenus Fl. Vopiſcus. Quod toties in principibus imperium auſpicantibus uſitatum legimus, id in eodem ſolemni nunquam intermiſſum haud timide argumentamur; &, ubi reticetur, non pro non facto, ſed pro vulgari nimis & legitimo & omnibus noto tranſmitti. Hoc igitur Senatuſ-

con-

conſultum ex tot velut ſegmentis & clavis Cæſareæ purpuræ conſutum, tardeque in unam maſſam coaleſcens, deinde tranſlaticium & quovis novo cum principe interpolatum & renovatum, ſero, poſtquam regii nominis invidia exoleviſſet, jamque regnari Romam non turpe, nedum exſecrabile cenſeretur, & ſine cujuſquam offenſione imperatores *Reges* omniaque principalia impune *Regia* dicerentur, Jureconſulti docendi cauſa (ut ſemper in fingendis artis ſuæ inſtrumentis ſubtiles in primis atque ingenioſi fuere, adeo quidem, ut hanc ipſam ob virtutem *formularum cantores* & *verborum aucupes* ab obtrectatoribus audirent) *Regiam le-*

gem

gem inſcripſerunt. Et initium quidem imperatores numero Regum habendi facile crediderim à Græcis manaſſe: mox adſueverunt, & Latini; quorum primus P. Papinius Statius in carmine, quo ſeptimum decimum conſulatum Domitiani decoravit, honoris eum cauſa *Regem Magnum* ſalutat. Hadriano poſtea Virgiliana ſors data *crines incanaque menta Regis Romani* præcinens, & alia ſors Flavio Claudio Gothico, *Regnabunt etiam tui minores, & Reges facient ſuos minores*; nec minus in Juliæ Septimii Severi genitura prædictum, fore *ut Regis uxor eſſet*, etiam diis faventibus recte ſic Principes compellari fidem fecerunt. Lampridius in Heliogabalo

gabalo Cæſares diſtinguens *& nimis bonos Reges & peſſimos* fuiſſe profatur. Apud eundem Poëta incertus illorum temporum Alexandrum Severum *Noſtrum Regem* decantat. Q. Nonio Regilliano ex triginta tyrannis ad Auguſtum faſtigium parandum apud milites cognominis cum Regno lenocinabatur adfinitas, jactantibus quibuſdam *Regillianum à Regno dictum*, & aliis, *Ergo poteſt Rex eſſe*; rurſumque aliis, *Deus tibi Regis nomen impoſuit*. Nec veritus eſt Ammianus Marcellinus Euſebiam Conſtantii nuncupare *Reginam*, nec *Regiam* pro palatio Spartianus in Ælio Vero, quam *domum Regiam* Lampridius in Heliogabalo & Tre-

bel-

bellius in Gallienis. Colebatur in cubiculo Principis ſignum Fortunæ aureum, ſymbolus & ſpecimen Palatinæ felicitatis, quam moribundus Pius ad Marci cubiculum tranſportari juſſit, tanquam ſucceſſoris ſui: eam Spartianus in Septimio Severo *Fortunam Regiam* indigetat. Sic frequentia apud eoſdem ſcriptores *adoptio regia*, *ſtatio regia*, *ornamenta regia*, *apparatus regius*, *pompa regia & regalis*, *ſtatua regis*, *atrium regium*, *ſedile regium*, *ſervi regii*, *regale munus*, *veſtis regalis & regia*, *funus regium*, *monumentum regium*, omnia pro imperatoriis. quæ nemo intra centum poſt admiſſum principatum annos excidere ſibi paſſus fuiſſet.

Tantum ævi longinqua poteſt
mutare vetuſtas.

Neque offendere nos debet *Legem* perhiberi, quod alii *Senatuſconſultum* commemorant. nam ipſum illud, quod Veſpaſiano ſenatum decreſſe Tacitus tradit, ter in ſcripto, quod ea de re factum eſt, *Legis* nomine venit: & poſtquam comitia translata ſunt ad Patres, leges quoque ibi ferri oportuit, ac diſcrimen inter Senatuſconſulta & leges ex loco & perſonis ſuffragia ferentium ceſſavit: denique *Legem Regiam* dici ſatis fert, non item *Senatuſconſultum Regium*, linguæ Latiaris conſuetudo. Iidem Jureconſulti, quum nimia poteſtas unius horribile ſecretum eſſe deſiiſſet; quum ad-

adſuefactus jugo populus Romanus libertatis memoriam, ſpeciem, deſiderium depoſuiſſet; quum erubeſceret nemo Cæſarem timere; quum Principem omnia, populum nihil poſſe, non illis periculo, non his dolori & indignationi foret, & neque in principe ſuperbum, nec populo vile atque humile putaretur, jamque ſcapham ſcapham appellare liceret; Populum Principi omne imperium & poteſtatem ſuam conceſſiſſe *Lege* illa *Regia* definierunt; quod videlicet rebus factum erat jam tum, quum verbis adhuc parceretur.

Peregi ſententiam, Auditores Spectatiſſimi & Humaniſſimi, qua & quæſtio ſatis ante-

F hac

hac obſcura in clariſſima luce ponitur; & omnium conſtitutionum ac reſcriptorum principalium pondus auctoritaſque in re certa, non imaginaria, inque lege, non vi, fundatur; & maximorum juris auctorum majeſtas comiter conſervatur. Non pauca nec levia obverſantur animo; quibus, quæ diximus, & adfirmari poſſunt & extendi: ſed nihil abeſt intelligentibus: & ſolet patientia fatigari. Ergo non ultra contendam, & libenter in conſilium vos mittam, ſpe in utramvis partem blandiente ſubnixus, fore, ut & judicium meum; ſin minus, voluntatem & laborem haud improbetis.

DIXI.

Corrigenda.

Pag. 4. *verſu* 5. *ſcribe inſigere.* 25. 17. *viris.* 33. 5. *Civi.* 37. 4. *cadi.* 38. 10. *ferens & ad.* 41. 7. *imminuiſſe.* 48. 4. *inimicis.* 67. 10. CURATIONEMVE.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

237